

DE SANCTORVM APOSTOLO-

RVM DIGNITATE, ASSERTIONES THEOLOGICÆ, QVAS
in publica disputatione defendet M. Henricus Arboreus, Sacrosanctæ Theologiæ
Baccalaureus formatus, Præside Dño Doctore Alphonso Pisano, eiusdem
facultatis pro tempore Decano, & Ordinario Professore etc.

I.



- Vamuis sanctis Apostolis quasi primitias spiritus habentibus, & quibusdā Ciuitatis Dei fundamen-
tis, Christus Dns plura dona gratiarum contulerit, est tñ potissimum Apostolorū propria, & quæ
sola veri nominis Apostolum constituit, quium Christi adducendarum & pascendarum autoritas.
- II. Adoues Christi adducendas pertinet, Eunte docete oēs gentes, baptizantes eos in nomine Pa-
tris & Filij & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcunq; mandaui vobis. Et: Illi autem
profecti prædicauerunt vbiq; Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis.
- III. Ad pascendas Christi oues iam in ouili congregatas, non desunt graues autores qui referant illa
verba Domini: Quæcunq; alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunq; solueri-
tis super terram, erunt soluta & in cœlo. Et illa: Sicut misit me Pater & ego mitto vos.
- III. Ceterum cùm predicta verba (quibus Iurisdictio Ecclesiastica concedi videtur) ex precedentibus
constet ad discipulos de primatu contendentes primū, deinde post resurrectionem ad eosdem si-
mul congregatos fuisse directa, nomine autem discipulorum omnes fideles possint intelligi, quæ-
rendum est quomodo potestas illa discipulis promissa ad solos Apostolos peruererit.
- V. Id autem præter vniuersalem sanctorum Patrum consensum ex duabus scripturæ locis colligere
licet, primus est Lucæ xxij. Vbi solis Apostolis dicitur: Vos estis qui permanistis mecum in ten-
tationibus meis, & ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis
super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israël.
Alter est Marci nono, vbi ex gregediscipulorum de primatu contendentium legimus Dominum
ad se vocasse duodecim, ut eos ab alijs segregatos instrueret.
- VI. Etsi Apostolorum potestas amplissima fuerit, longè tamen erat Petri autoritate inferior, Apo-
stolorum enim quilibet potestate habuit in omnes alios Christi fideles, Petrus verò etiam in ipsis
Apostolos: nam & soli Petro dictum est: Tibi dabo claves regni cœlorum: & soli: Pasce agnos me-
os: Pasce oues meas, cùm tamen alij Apostoli præsentes adessent.
- VII. Quibus verbis beatus Petrus Pastor & Episcopus Christianorum omnium declaratus est, (ut
Cypr. de simpli. testatur Cyprianus, Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus & innumeri alij) reliqui verò Apo-
Prælat. Aug. q. stoli Sacerdotes tantum & Legati in vniuersum orbem ore Domini sunt constituti: neq; enim eis
dicitur, vobis dabo claves regni cœlorū, sed tantum: quæcunq; alligaueritis etc. Vnde non ordinem
Testa. Hier. ad Eustoch. devin Episcopalem, sed Iurisdictionem tantum a Domino acceperunt, cùm actus ordinis Episcopalis or-
culis S. Petri. dinare scilicet & confirmare, actus quidem sint clavium Petro promissarum, non actus ligandi &
Chris. in Joh. vlt. soluendi, qui cæteris Apostolis cum Petro communes fuerunt.
- VIII. Hinc est quòd beatus Paulus qui nihil minus habuit à magnis Apostolis, cùm esset Apostolus IE-
Hoc tradunt S V Christi, non ab hominibus neq; per hominem, non sic tamen erat Episcopus, sicut Apostolus,
Anacl. Ep. 2. præ fatio Conc. Nic. sed Episcopatum à Deo acceperat, imponentibus ei manus Prophetis & Doctoribus qui erant An-
Hier. lib. de vir. tiochiae. Act. xij. Et constans habet traditio Sanctorum Patrum Græcorum & Latinorum, Bea-
ill. Clem. 6. lib. Dispos. Euseb. tum Iacobum Alphæi fratrem Domini, cognomento Iustum, à sancto Petro, Ioanne, & altero Ia-
lib. 2. c. 12. Hist. cobo primum Hierosolimorum Episcopum fuisse ordinatum.
- Ee. Remigius Math. 10. Chrys. Hom. 8. in Joh. Vnde (si propriè loqui velimus) aliud est Apostolatus, aliud Episcopatus. Apostolatus enim
est vniuersalis Ecclesiæ congregandæ & gubernandæ potestas: Episcopatus verò est potestas con-
firmandi & ordinandi, ut Apostolatus ratio in Iurisdictione uniuersali, Episcopatus verò in ordine
consistat, cui addi solet portio quædam Apostolicæ Iurisdictionis in aliquam Diocesin.

Disputabuntur in Schola Theologica hora septima ipsa Vigilia S. Bartholomæi.

Ingolstadij excudebant Alexander & Samuel VVeyssenhorij. Anno M. D. LXIII.

DE SAMOTOLICO
ET DIPLOMATE